Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 225
Quelle:
Copyright:

ſia. Jam *Cod.* alio indicatus, ſed ibi absque Autoris nomine.

VI. *fol.* 55. p. 2. *Incipit tractatus de inſtinctibus interioribus hominis M. Hainrici de vrimaria.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Licet uerbum propoſitum exponatur* &c. Finis: *et in futuro per gloriam conſequi Jheſus chriſtus, qui cum patre* &c. Quatuor diſtinguit Autor Inſtinctus: *Divinum, Angelicum, Diabolicum* et *Naturalem.* Tractatus teſte *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. lat.* lucem vidit *Venetiis* 1498. et pluries alibi, ut *Antverpiae* opera *Corn. Dielmani* O. S. Aug. 1652. 8. una cum praecedente *Henrici de Haſſia.*

VII. *fol.* 77. *Incipit tractatus de Confeſſione Magiſtri Mathie de cracovia.* Additum alia manu: *et ſecundum alios Johannis de Deo.* Puto neutrius. Nec etiam *Thomae Aquinatis*, quamvis ei a *Trithemio* adſcribatur, et extet inter ejus Opera edit. *Rom.* 1570. T. XVII. *Opuſc.* 64. *fol.* 102. Sed ſubſcribo *Joh. Gerſoni*, qui ad finem *Tract. de Pollut. diurna* ait: *Aſcribunt aliqui S. Thomae, ſed magis apparet ex ſtylo et materia, quod ſit Bonaventuræ.* Itaque et in editione Ejus Opuſculor. *Argent.* 1495. legitur, et receptus eſt in T. VII. Operum *Lugd.* 1668. p. 646. f. Incipit vero: *Quoniam fundamentum et iamua virtutum* &c. Et finit: *cum apparuerit gloria tua. Ad quam nos perducat, qui viuit* &c. In *Cod.* noſtro Compactoris vitio a *fol.* 81. redeundum eſt ad *fol.* 68.

VIII. *fol.* 81. *Incipit alter tractatus de tribus partibus penitentie deſcendens ad ſingula peccata mortalia, quem videtur feciſſe Magiſter Nico. de dinklſpücbl.* Et *Trithemius* illi tribuit, et extat inter ejus *Opera* impreſſa, ut dixi alibi. Initium, ut ibi: *Secundum magiſtrum et doctores* &c. Finis: *preces fundere neglexerit.*

IX. *fol.* 87. p. 2. *Incipit liber meditationum Reuerendiſſimi domini Bonauenture Cardinalis et doctoris, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Eſt *Soliloquium* illud, quod T. VII. Opp. *Lugd.* 1668. p. 105. *de quatuor mentalibus Exercitiis* dicitur, et incipit: *Flecto genua mea* &c. Jam indicatum *Codd.* aliis, ubi vides, quatuor diverſis titulis Tractatum hunc a diverſis Librariis venditari, qua re boni illi homines non levem paſſim crucem Bibliographis fixere.

X. *fol.* 107. *Incipit prohemium beati Anſhelmi in proſologion.* Initium: *Poſtquam opuſculum quoddam velut exemplum meditandi* &c. Prooemium excipit Tabula Capitum. Opuſculum ipſum in his C. *penult.* verbis deficit: *et ille ſe et illos per ſeipſum* — —. Integrum extat in *Anſelmi Cantuar.* Opp. edit. *Pariſ.* 1721. p. 29. f.

XI. *fol.* 116. *Incipit tractatus de celebratione miſſe editus a Magiſtro Johanne de gerſon.* Initium: *Dubitatum eſt apud me frequenter et diu* &c. Extat Opp. omn. T. III. *Antverp.* 1706. *col.* 323. inſcriptus: *De Praeparatione ad Miſ-*